

LIBER QUARTUS,

DE

VIRTUTIBUS MUNDANIS

& aliis rebus inde dependentibus.

CAPUT I.

De Virtutibus Mundanis in genere.



Ræcedenti libro 2. capite 7. mentionem fecimus: *Omne Creatum, Corpora præsertim Mundana, suâ Materiâ, Vitâ, & Virtutibus innatis constare.*

Hæ Virtutes neque sunt Substantiæ neque Accidentia, sed sunt Effluentia Corporum Mundanorum, quæ istis corporibus insunt & ex eis effluunt. Differentia tamen habenda est quatenus Corpori alicui originaliter insunt, ex eoque effluunt: & quatenus in aliud influunt ab eoque recipiuntur; Nam illius in quod influunt sunt Accidentia: ex quo autem effluunt, ejus sunt innatæ Virtutes, quæ non sine maximo detrimento seu formæ interitu, abesse possunt.

Dicuntur ideò Virtutes Mundanæ, quia præcipuè de Corporibus Mundanis, Planetis scilicet, ut & Tellureac Sole &c. (deinde etiam de partibus Telluris) intelligendæ sunt: videatur quoque *cap. 7. lib. 6.*

Harum quædam sunt Corporeæ, quædam Incorporeæ.

Virtus Corporea, est tenuis quædam extensio virtuosa, quæ ex corpore Mundano, non quidem in infinitum, sed ad terminum orbis sui effluit, in spatium circumstans; Vocaturque ideo Corporea, quia corpora non pertransit dura ac solida, ut sunt vitrum, metalla, &c.

Sic Aër est Virtus Corporea Telluris, id est, omnium rerum Terrestrium Corporale Effluvium, de quo *lib. anteced. 3. cap. 1. & 8. Quod Efflu-*

vium per Odorem distinguimus, de quo *cap. 10. dict. lib.* Si enim Organon olfaciendi (quod in anterioribus Cranii partibus sedem habet) non haberemus, nulla nobis esset facultas percipiendi & distinguendi corporea hæc Effluvia, proindeque nullus Olfactus aut odoris perceptio.

Virtus verò Incorporea, est quæ tenuissimè ex corpore effluit, & sese circumcirca usque ad finitam distantiam, extendit aut diffundit, omniaque alia corpora solida ac dura (pro diversa tamen, tam suâ quàm cujusvis corporis qualitate) penetrat; quam extensionem, *Orbem Virtutis*, seu *Sphæram Activitatis*, vocamus.

Omnis autem *Orbis Virtutis* sive sit corporalis sive incorporealis, est à corpore egrediente densior, compressior & fortior, quam in majori elongatione, ubi sese magis magisque dilatat ac rarior fit, donec denique in nihilum abeat.

Virtutes Incorporeæ sunt sine dubio multifariæ atque diversæ, quæ tamen à nobis propter sensuum vel organorum ad quamlibet virtutem necessariorum defectum, non percipiuntur: quæ verò in sensus incurrunt, unde à nobis cognitæ sunt, illæ vel proveniunt ex Tellure, vel à Sole.

Sic à Tellure proveniunt: 1. Virtus Impulsiva. 2. Virtus Conservativa & Expulsiva. 3. Virtus Directiva. 4. Virtus Vertens. 5. Virtus Sonans. 6. Calefaciens, &c.

E Virtutibus incorporeis à Sole ad nos provenientes, evidenter percipitur Virtus Lucens atque Col-

Q 3

rans,

Virtutes innatae sunt neque Substantiæ neque Accidentia.

Quare dicantur Virtutes Mundanae.

Sunt vel Corporeæ vel Incorporeæ.

Quid Virtus Corporea.

Olfactus est Organon percipiendi Virtutes Corporeas.

Quid Virtus Incorporea.

Orbis Virtutis seu Sphæra Activitatis quid?

Orbes virtutum sunt prope corpora fortiores, ac densiores.

Virtutes sunt multifariæ.

Virtutes Incorporeæ à Tellure existentes.

Virtus evidens à Sole proveniens, est Lux.